...es
Poloniae et Suecae Princeps.

Lipski Joannis: Elogium funebre Serenissimo Alexandro Carolo Poloniae et Sueciae Principi scriptum.

ELOGIVM FVNEBRE
SERENISSIMO D.
ALEXANDRO CAROLO,
POLONIÆ ET SVECIÆ PRINCIPI.

A

IOANNE LIPSKI,
REFERENDARIO REGNI,

Scriptum.

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typogr.
Anno D. M.DC.XXXV.



SERENISSIMO PRINCIPI
AC DNO: D.

VLADISLAO IV.
POLONIÆ ET SVECIÆ
REGI INVICTISSIMO.

I. L. R. R.

PRosequenti mihi Cracouiam, iussu Maiestatis Tuæ, tristē funeris pompam PRINCIPIS ALEXANDRI, *quæ luctus dictauit, sine arte & fuco, quibus dolor inimicus, in chartam cum lacrymis effudi. Hæc Tibi, Optime Maxime Regum, reuerenter offero; vt qui Reipublicæ causâ nec funeri adesse, nec in eo habitam à viro docto Concionem audire potueris, saltem hanc legendo, eò dolentiùs, partem officij funeralis, quòd iucunda respuit, Fratri exoluas, quò molestior Tibi accidet lectio scripti, argumento & stylo ingrati.*

ingrati. Gratum tamen faciet, vel Tuus ille plusquam Fraternus in Fratrem amor, vel perpetuus meus in Tuam Maiestatem, Regiamq́ue Domum cultus. Interim Superos precabor, vt Te nobis diu sospitem seruet; in quo vno, & lætorum auspicia, & tristium solatia habemus: & quo superstite, ac incolumi, nullos Alexandros desiderabimus. Cracouiæ, Die 5. Febr: 1635.

ELOGIVM FVNEBRE.

QVod nemo Nostrûm sperâsset, Serenissimi Principes, cæteriq; amplissimi Auditores, en iterum, vix toto exacto biennio, SIGISMVNDVM Regem, & Reginam CONSTANTIAM, in magno suo, & Orbis delicio, mæsti tumulamus. Quid ita? Nimirum sicut illi nouam oppetiêre mortem, amissâ eius vitæ parte, quà post funera nobis, & Orbi viuunt: ita nouo à nobis funere efferuntur; tanquam rediјssent in idem triste feretrum, in quo nuper iacebant, ferales amborũ vrnæ, quibus in vnâ hac ALEXANDRI CAROLI Principis Nostri supremo officio parentamus, in quam posthumam

eorum vitam præcox fatum condidit. Itaque multiplicato funere, creuit & luctus; qui nescio an aliud solatium admittat, quàm non totâ morte in obitu Filij Progenitores obijsse; sed superesse illis plures adhuc vitas, quibus non ipsi modò, sed nos quoq; viuimus, vel ideo, nisi auguria fallant, in longa sæcula duraturas, quòd fata in minimo, vltimoque Fratrum cæperint, vt statim desinant, vel diu cessent, nos ferire. Nisi etiam vel hoc ipsum in solatijs sit, voluisse beatissimos illos Diuorum Parentum spiritus partiri inter Filios, cæli terrarumque Regna, vt Maximus natu hîc pro ipsis, mininius ibi cum ipsis Regnaret. Cætera solatia, etsi ea interdũ fingere sibi dolor soleat, tantus luctus, & iactura respuit, præter lacrymas, quas si ad Achyllis busta Alexander Magnus, si ad Alexandri sta-

dri ſtatuam primus Cæſarum fuderat,
illacrymemus & nos, & magis ſingulti-
bus, quàm verbis parentemus Alexan-
dro Carolo, Principi, non minùs re-
quàm vtroq; nomine Magno. Ad vr-
nam Alexandri ſtamus, ſine Magni titu-
lo Maximi, qui an magnitudine Mace-
donicum æquare, ſi & ætate potuiſſet:
paucis, quæſo, mecum, Auditores, ex-
pendite. Tametſi Magni cognomentũ
Alexandro Noſtro fata cum vita eri-
puêre, quod iam ita mereri incipiebat,
vt peragratus ab eo Germanicus, atque
Italicus Orbis, Magnum fore augurare-
tur: Magnus tamen inprimis Regio ge-
nere erat, ipſoq; Magno Alexandro Ma-
ior; quem cùm Deo natum, per fœdam
aſſentationem, antiquitas iactat, Philip-
po Patre per ſummum probrum ſpoliat;
quiq; nõ tantum orbis ſubegerat, vt Ma-
gnus di-

gnus diceretur, quantum inclyta Gottorum, ac Vandalorum Gens victricibus armis peragrauit, vt Magnos poſteros faceret; quantumq́; vel nunc vnica Auguſta Domus Imperio obtinet: cui nouos ad victoriam mundos quæri oportebat, ad quos aſpirare tantùm, ac illacrymari moribundo ALEXANDRO licuit, ſponte profeſſo, ſe ne vnum quidem ſubiugâſſe. Hinc ſi Magnos faciebant, inani & ambitioſo titulo, vſurpata, Gottici, Vandalici, Germanici, cognomina, vt ſaltem illa in trophæum irent, cùm populi vinci non poſſent; an non multò maior Princeps is, qui non titulo, ſed genere tam magna præferebat nomina? præterquã, quòd virtute eadem meruerit, & alter Germanicus indole, gloriâ, fato, fuerit. Noſtro igitur ALEXANDRO nihil ad primam hãc magnitudinem defuiſſet, præterquàm

terquàm, vt Regibus ad Regna natus, etiam Rex esset; nî mereri Regna, ac debere præclarius sit, quàm habere: nec minores faciat fatorum iniuria, quos genus, & virtus maximos. Destinabatur ille, orbis iudicio, magnis sceptris, & dignum Imperio consensus gentium, vox populorum fatebatur: nec erat, qui natã Regno indolem, dignam Imperio faciem contemplatus non ederet vetus oraculũ: *Regnabis, si viues.* Orbis hæc culpa, vel iactura, qui dum annos expectat, dum deliberat, quam sui partem Imperio eius traderet, maluit vel ipse mori, quàm serò Regnare: vel æquiora fata inter inuidiã annorum, Regnorumq́; , ne ætati suæ, in quâ immaturâ licèt, iam Regno maturus erat: neuè sceptris eum tacito voto ambientibus iniuria foret, maluerunt, vt æternùm tota posteritas dignum orbis

 Impe-

Imperio iudicaret, quàm ipse nō toti Imperaret. Deinde Diui illi Progenitorum Manes, cùm Alexandrum suum, nō Bucephalos, vt ille Macedonicus, sed Orbē regere posse, immò maiores terris spiritus gerere è Cælo vidissent, aliam Macedoniam, alia Regna, id est, æterna quærere iubent: rati, satis hîc Imperatū, cùm meruit vel à Cælo ambiri; satis Regnatū, cùm Regna fastidire didicisset. Itaque Magnus hac parte erat, Auditores, ALEXANDER Noster: sed Regio animo, heroicâ indole, augustâ corporis maiestate maior. Non is fucatâ illā, & ingenijs Historicorum adumbratâ animi magnitudine præcelluit, vt currere nisi cum Regibus, exemplo illius Magni, nollet. Alijs se prodebat hæc in ipso magnanimitas, longeq; nobilioribus indicijs. Cursus ei ad gloriam, nō ambitioso illo inferiorum

riorum contemptu, non fastu, & arrogātiâ; quæ assentatio Regiam magnanimitatē vocat: sed Principe dignâ in omnes comitate, quæ à Maiestate nusquam discederet: sed virtutis æmulatione, quæ discrimē personarum nescit, mereturq; à purpurâ vel in vili lacernâ honorari. Inerat ergo illi animus Regius, sed non ad fastum; inerat magna indoles, sed quâ non ludicro cum Regibus, sed vero, solidoque cū omnibus ad immortalitatem cursu certaret. Sed neq; ad Coronam cū Lescis Nostris, dignus ad quem Coronæ potiùs currerent; nec tardauissent, nisi ad immortalem ipse maluisset. Eiusdem ingeniti ad præclara spiritus, vel ipsa vultus dignitas, ipsa oris maiestas, oculorū vigor, frontis lætitia, augusta proceritas index erat; per quæ diuitias animi non inuida prodit natura, quæq; alijs imper-

 tiue-

tiuerat, quos terrarum orbis Magnos dixit, vel habuit. Quid hoc iuuene orbis vidit vel ſine mollitiâ formoſius, vel cum virili maieſtate venuſtius? vt licèt oris gratiâ, vel ipſas vinceret Gratias; emendaret nihilominus in ſe paternum Cæſaris encomium, vt nonniſi omnium virorum vir fore videretur. Mirabatur noſtra Sarmatia, etſi ſæpè viſa mirari deſueſcimus; mirabatur Germania, atque Italia, quæ cognitum adamauerant, vt amiſſum magis defleret; mirabatur, inquam, hos Regiæ indolis indices, qui neminem fefellêre, niſi præmaturo occaſu, qui omina, ſpes, vota, auguria, omnium vno momento euertit. In cæteris neminem tã augusti mentis interpretes fruſtrabantur. Non ociosè mehercule in illâ fronte, illis oculis, illo vultu natura poſuerat vim quãdam maieſtatis, quæ & Regium

quid

quid ſpiraret, & intuentes ad veneratio-
nem, amoremq́; pelliceret. Non celat il-
la in homine, vt in terris metalla & gem-
mas, intimos theſauros; ſed exteriùs præ-
cones poſuit mentis, qui totum intuen-
tibus narrent hominem. Ijdem narrabāt
ad primum obtutum omnibus ALEXAN-
DRVM Noſtrum, nec fefellit natura, aut
ipſe naturam. Nam ſi ſpirabat toto vul-
tu ingenuam bonitatem, comprobauit
illam cultu in Superos, pietate in Patri-
am, obſeruantiâ in Regem, beneuolen-
tiâ in omnes; ſi referebat Regiam graui-
tatem, aſſeruit illam dictorū, factorum-
que conſtantiâ, etſi hæc in pertinaciam
degenerare facilis, ſæpè innoxiam Prin-
cipibus labem adſpergit: ſi redolebat
prudentiam, magnanimitatem, munifi-
centiam, adſtruxit eas pluribus, quàm
pro ætate, & fortunâ experimentis: quæ

adhuc pro tāti capacitate animi minor, anguſtiorq́; premebat in auguſto, ac generoſo pectore magnitudinē illam, quæ in paruâ fortunâ ſeipſâ minor, in magnâ maior ſolet apparere. Si ei prouinciæ, exercitus, populi, vno verbo dicā, Regna per ætatem, & fata obtigiſſent, neſcio an non probè cum Hiſtorico dicere auſim, per omnia hunc Noſtrū ALEXANDRVM, ſimilem Alexandro Magno futurum fuiſſe, ſed ſobrio, & non iracundo, quorum vtroq́; iam eū vicerat, multis æquauerat. Verumtamen cùm adhuc Regna deerant; ſibi ipſe, vt alijs ſciret, Imperabat, ac ſe literis, eruditione, peregrinationibus ad Regna erudiebat: cùm exercitus, & caſtra; ludicris ſe exercitabat, ſimulacra pugnæ domi edendo, caſtella ex arte ac munimenta ſtruēdo, oppugnando, defendendo, machinas bel-

licas fabricando, venando, iaculando, equitando. Quid multa? quamuis in impari adhuc, ſuo generi, ſuo animo, fortunâ: nihil tamen humile vnquam cogitabat, aut agebat, niſi ad horam, ne ocio noxia accerſeret, egregiè vel in hoc ipſo nominis ſui Imperatorem Alexandrum Seuerum, vt ſolebat alios quoq; Carolos & Alexandros, æmulatus, ſolitum vilioribus etiam per ociũ operis manus exercere, ſed tamē ocio Domitiani nobilioribus. Tandem verò, vt aliquando in veris caſtris rei gerēdæ occaſio daretur, quam hactenus ætas, vel tēpus negabat, vltrò eam ipſe & foris apud Cæſarem FERDINANDVM Auũculum ſuum quærebat, & domi apud Fratrem Regem ſummo ſtudio poſt ſuum ex Germania, Italiaq; reditum efflagitabat. Nec optimus Rex differendum ratus tam præclarum

rum Iuuenis desiderium, haud ægrè eum ad bellum Turcicũ assumpsit, vt sub suâ disciplinâ, ac ductu, inq; tam clarâ militiâ tyrocinium deponeret. Iuit, iuit fortissimus Iuuenis, iam militi Caligula, sed nõn Caius, alacri animo vt suum, vel hostilem sanguinem funderet, vt Religioni, Fratri, Patriæ, prima militiæ rudimẽta consecraret; nil nisi castra, hostẽ, pugnas toto itinere agitando. Sed, ô fata! postquam fama Regiæ expeditionis hostem terruit, fugauit, exarmauit: flamma Martij pectoris, quæ in hostem efferbuerat, in ipsum, quòd tam facilè debellatum esset, eoq; prima militiæ auspicia irrito voto abijssent, sensim desæuijt; auctoque ex contagione morbo intra paucos dies absumpsit. Extollat nunc, & ferat ad astra adulatrix antiquitas, Regios spiritus Alexandri sui, ad victorias paternas

ternas ingemiſcentis, metuentiſq́; , ne nihil vincendum Pater ſibi relinqueret. Grauiùs ecce alter hîc ALEXANDER ad victorias fraternas, inter priuatæ, publicæq́; lætitiæ affectus indoluit; quē cùm victrices Aquilas ab vltimo Septemtrione in Oriētem ferre cerneret, ipſaq́; nominis, & aduētus ſui famâ terrorem Orbis terruiſſe; veritus, ne ſibi non ſupereſſet gloriæ materia, ſupereſſe ipſe noluit. Licèt enim ſuum putaret, quicquid in cōmune decus Regiæ Domus Frater REX geſſiſſet: ſuperat tamen omnes in generoſo pectore affectus gloriæ cupiditas, vt ei & pietas Paterna, & caritas Fraterna, ſæpè concedat. Quâ etiam ALEXANDER hîc Noſter victus, etſi lætabatur fraternâ, & publicâ fælicitate, & ſupremo ſpiritu colluctatus, exēplo alterius Alexādri Regis Proaui ſui, pro domitis Bar-

baris lętas æterno Numini gratias referebat: indignabatur tamen fatis, ac properatæ paci, quæ sibi ad bellicam gloriam viam præclusissent. Sic ille: At REGI Nostro, at Nobis, & Reipubl: vt rerum mortalium fert natura, in tanto rerum successu, cumulatisq; trophæis redijt funesta Æmiliani triumphi post debellatã Macedoniã facies. Perculerant ibi tum amissi duo filij Patrem triumphantem: hîc amissus Frater Regem Victorẽ. Sed vtrobiq; vnâ & de hostibus, & de priuatâ calamitate triumphatum. Donauit ibi Reipublicæ Pater luctum suum, ex priuatâ Domus suæ iacturâ publicam fælicitatem auspicatus: donauit & Reipubl: Nostræ VLADISLAVS Rex eodem affectu, pari augurio, vt & se ipsum pridem, & tanquam victimam piacularem saluti publicæ deuouit. Binos & hîc Fra-

tres,

tres, vt ibi Filios, aggreſſa erant contagioſo morbo fata; ſed Cælum vno tandē contentum, Te IOANNES CASIMIRE, Magnanime Princeps, ſeruauit, vt alter veſtrûm Superis, alter mortalibus documēto eſſetis caritatis in Patriam Regis Noſtri, quâ ſecum vtrumque immaniſſimo hoſti obiecit; eſſeſq; Tu in ſolatium, aut ſubſidium Dominationis Fratri, & Patriæ: gerens interim has cicatriculas, nobilibus cicatricibus æquandas, in perpetuum tuæ in Religionem, & Rempubl: pietatis, quas propugnatum cum Fratribus ibas, documentum; quas non tā tibi morbi malignitas, quàm Martius ardor, quo in pericula & vulnera ferebaris, expreſſit. Tu verò, Optime Regum, (neq; enim fas eſt, te non alloqui, qui etſi Reipubl: causâ abes, vt hoc etiā ei donares, affectu tamen, & luctu ades) Tu inquā,

non eras contentus, vt Te, vt Fratres publicæ incolumitatis causâ periculis obijceres, niſi altero eorum amiſſo, Tuũ luctum Reipubl: donares. Qui quidem tantus erat, vt Tua vox æternis monumentis digna audita ſit tum, cùm tibi referretur in Regio monumento non ſupereſſe iam nouæ vrnæ locum; reſpõdiſti enim, fore vni locum, quem vtinam ego occupâſſem. Sed abſit, ô Domine, triſte dicto omen; affectum Fratris in Tua hac voce laudamus, rem abominamur. Tuã vitam tot ſalutes complexam cariùs Superi, & Orbis, quàm Tu, æſtimant. quâ viuunt in Te, viuentq́; nobis omnes boni, & Magni Alexãdri. Immò lætum accipimus omen, vt occupato iam toto inter mortuos loco, diu viuis Imperes: æternumq́; Tibi in pectoribus Ciuium ſtruas monumentum. Quin & illacrymâſti,

noue Iuli, ad feralem Tui ALEXANDRI loculũ, teſtatus amorem fraternum rarum, in Regijs præſertim Domibus bonum; quo & Nos antea ferè caruimus, at nunc à te reſtituto ita fælices fruimur, vt nõ timeamus vetera Te Dominante diſſidia; qui Fratres Tuos amas vt Pater, vt Frater ornas, vt Rex auctoritate regis, conſilio & exemplo ducis, beneficijs auges. Sed quid dico Fratres? etiam ſubditos, qui cùm Te Regem dixiſſent, Tu filios adoptâſti. Verùm ad vos cum ALEXANDRO Noſtro redeo, Auditores; cuius en iam Regios cineres Sarmatia Noſtra, tanquam alterius Germanici Mater Agripina, Regijs infert monumentis, nõ Tyberium, non Piſonem, incuſans, quos iſta ſæcula non norunt, ſed fata, ſed piacula Noſtra, quæ haud quaquam poterãt, niſi tanti pretij victimâ, expiari. Iam ergo vl-

go vltimum vale vobis dicit. In ſinu huius Patriæ natus, altus, educatus pro eadẽ mortem oppetijſſe, ſi minùs cui videtur, voluit certè cùm eò iuit, vbi occumbere pro Religione, & Patriâ, animus fuit, occaſio defuit, & vnde cum eodem moriẽdi animo, quo iuerat, vel potiùs morte ipſa redijt. Satis ſe vixiſſe profitetur, quando ita deſijt: ſatis, quando ita iam cæpit, vt nunquã deſinat. Heroico quippe, & Catholico animo, mũdum magis ſpreuit, quàm ille Macedo nouos cõcupiuerat. Referre maiores gratias & Patriæ, & vobis, non poteſt, quàm cum Diuo huius Baſilicæ, & Regni Patrono, cæteriſque ſuis, & Gentis Noſtræ Cognatis Cælitibus, comprimiſq; ſanctiſſimis Parentum ſuorum ſpiritibus, quorum cineribus mox ſociabitur, conſociatus iam æterno, vt vouemus, conſortio, Deum precan-

precando, vt Seruatorem Noſtrũ VLA-
DISLAVM Regem, diu ſeruet; Princi-
pes Fratres, vnicamq́; Sororem lõgæuâ
incolumitate donet; Rempubl: Noſtrã
ſaluam, ac florentem reddat; ac ipſe ita
nunc totum Regium monumentum oc-
cupet, vt inclyta hæc Baſilica, quæ Reges
coronat, & ſepelit, vtrumq́ue diu oblita,
iam non triſtes nænias, ſed lætum pæana
reſonet, exuuijſq́; ac trophæis hoſtilibus,
qualibus olim collucebat, conueſtita,
fauſta vota pro victorijs, & triumphis
Regis Noſtri, Supremo Regi Re-
gum, prece, cantu, ſacrificio,
exoluat.